34-5-1-18-12
84

Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo Præſuli

FRANCISCO FERRETTO

S. CONSISTORIALIS AVLAE ADVOCATO.

Minerualium Militum Optimo Defenſori.

CVIVS VIRES, SICVT ILLIS IMPERANT NOMINE
MIHI ET NVMINE.

Qui

ADIVNXIT SVO FERRO ZONAS, VT AFFLVENTIA
SYDERVM ABVNDARET TRIVMPHIS,

Et

VT CAELO PROPITIO TOGATAM PALLADEM
CAELESTIBVS INFLVENTIIS CVMVLARET.

Cuius Clauum

CVM AVREA ELOQVENTIAE SAECVLA ROMAE
RESTITVERIT.

FERREO NOMINE FERREAM AETATEM DVXIT
IN SERVITVTEM,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

Et

NE IMMORTALITATI REPARARET, EA CAELESTI
SIGNO AETERNITATI CONSECRAVIT.

OB

Gratas igitur vices,

HAEC QVAE LICET PARVM ELABORATA
DISTILLAT AFFECTVS

LVTIVS GALTELLVS
EX ATHENEO MELII
IN SIGNVM DEBITAE DEVOTIONIS
D. D. D.

DEL SIGNOR

GIO. SIMONE RVGGIERI

AL SIGNOR

LVTIO GALTELLI

Per la ſua Oratione in lode di S. NICCOLO

Recitata dal Medeſimo nella Chieſa de' SS. Celſo, e Giuliano, di Roma.

SONETTO.

FRemè l'Inuidia, e s'atterrì l'Oblio
Mentre, che tu co' tuoi ſublimi accenti,
Spiegaſti le Virtù, gl'alti portenti,
Di quel Sacro Campion facondo, e pio.

Sgorgar da la tua bocca aurato rio
D'Eloquenza ſi vide, e in gran torrenti,
Dolce, e graue inondar gl'animi intenti,
Hor fugace, hor più tardo, hor più reſtio.

Onde ſe già quel Santo, Heroe l'Inferno
Incatenò coll'Oro, all'hor, che ſorte
Le Donzelle ſottraſſe à infame ſcherno;

Hor così à te, con lingua d'oro in ſorte,
Dato ne fù, con tuo gran vanto eterno
Vincere il Tempo, incatenar la Morte.

DE

DE D. NICOLAO EPISCOPO MYRENSE ORATIO

HABITA

Romæ in Æde SS. Iuliani, & Cælſi.

A LVTIO GALTELLO

In Atheneo Melij Rethorices

AVDITORE.

Anno Domini M. DC. XLI.

SI quantum imponitur mihi oneris (Auditores) tantum à me ad Auguſtiſſimum Nicolaum deferretur honoris, nullũ ſanè mihi dubium eſſet, quin delatus honor, humanæ facundiæ modulum facillimè ſuperaret: Cum impoſitum onus mortalis ingenij vires multis partibus excedere videatur. Quamobrem nullius ignominiæ labe merito poſſem aſpergi, ſi illud non audax abnutarem efficere, quod audaciæ notam, ſi annuerẽ, mihi poſſet inurere: ſed quoniam illius imperio mihi gloriæ datur ſuccumbere, cuius me voluntas refugientem ardẽter ad huius ſuggeſti concitauit anguſtias, onus hoc maximũ, cuius molem, vel Atlas ipſe contremiſceret, vt potero, ſed alacriter exantlabo.

Dicendum eſt enim de Myrenſis Epiſcopi Nicolai ſingulari eximiaq; virtute, cuius ſub tutiſſimo Patrocinio nos omnes, qui ad humaniores litteras diligentiùs informamur, fidelitſimè cuſtodimur. At vnde nutantis Orationis Nauem exiguam in conſtantis virtutis pelagus immenſum ſol-

uere tentabo? Quis mirificam verbis aſſequi poterit abſtinētiam? Quis incredibilem in pauperes caritatem? Quis ocu-latiſſimam in Populum diligentiam? Quot, quantaſq; flammas per ieiunium è corporis diripiebat incendio; tot, tantaſq; in Caritatis coaceruabat ardores, vt diuturnis vigilantiæ flabellis magis magiſque ſuccenderet. Nondum cibi nomen in infantuli Nicolai verſabatur ore, cum cibum ille, nō ſecus ac ſi cæleſti nutriretur Ambroſia, non aliter ac ſi ſpiritus è carnis concretione diſcretus eſſet, binis ſingularum hebdomadum diebus conſtantiſſimè faſtidiuit, fruſtraque propinata ſæpiùs vbera viriliter auerſatus, tenellam carnis inſurgentis teſtam diuinis iterati ieiunij conſtipauit odoribus, vt illud non iniuria de ſe ipſo mortales cōcinere poſſent: Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem teſta diù. Verùm quid illo, quod dicam, potuit in Puero contingere mirabilius? Nuper editum Nicolaum cibi, lactiſq; alimento fultum nō diurno, fulgere Angelico quodammodo aſpectu, & diuinum quid facie ſpirare nullus non obſtupebat: Quantumque induſtriæ puerilibus epulis abſtinentia ſubtrahebat, tantum ſapientiæ ad ingenium plus quam humanum animo in Cælum elato aggregare quiſque demirabatur, vt iam non amplius floridiſſimum illud antiquorum Monumentorum lumen Daniel admiratione mihi ſenſus obſtringat, qui peſſundatis Regiæ menſæ dapibus, profuſis vino pleniſſimis poculis, diuini nectaris potu, cæleſtiſq; Ambroſiæ cibo paſtus, omne Sapientiæ Verbum, omnem intellectu veritatem aſſecutus, nec de decori vultus dignitate quicquam amiſit, nec de profanæ menſæ abominatione quicquam admiſit. O vitale quidem Ieiunium! O ſapientiſſimam abſtinentiam! Vnde tanta profluxit in Nicolaum Sapientia (Auditores) qui vix lucem aſpexerat, vix humanæ vitæ limen attigerat, vt lucis nutrimenta deſpiceret, vitęque

in-

ínſtrumentum lacteo liquore íntingere recuſaret. Quam diuinę intellectu paruulos à ter Opt.Max.Deo mirabiliter condecorari Pſaltes illes Regius Empyreis auris afflatus ad numeros decantauit! Quam inauditum eſt vobis Nicolaum, qui nondum teneris pedum veſtigijs terram præmere cõſueuerat in tam arduæ virtutis culmen feliciter aſcendiſſe, quo vix ipſi Sanctitatis Gygantes laborioſiſſimè peruenerunt. Neq; tamen id mirum illi videbitur, qui tantum in Nicolai pectore, vel à cunis in Pauperes Caritatis ardorẽ conflagraſſe ſecum ipſe volutauerit, vt non eum huius vitæ ſpoliũ, huius ſpolij pondus, huius ponderis grauitas à tam edito abſtinentiæ cacumine retardarit, ſed igneas, vt ita dixerim alas paruulis humeris addiderit, & in tantã altitudinem non aſcendere, ſed euolare compulerit. Cuius veſtrum aures hac in re peregrinantur (Aud.)? Suſpicite pro veſtra fide quam ingens puerilis illa Caritatis flamma incendium excitauerit. Cuius enim calamitates, cuius miſeriæ aureo illo ſæculo, quod Nicolai fulgoribus radiabat à Nicolai caritate non leuatæ, non eleuatæ fuerunt? Teſtis eſt Vir ille genere nobilis, fortuna mobilis, & è rota deiectus, qui tres à ſe genitas Virgines iamiam in Tartareæ libidinis flammas prolapſuras, vna Nicolai caritate matrimonij legibus aſtrinxit, facemque illam nefandiſſimam ſancta huius Sanctitatis Ducis admota face deuicit: Teſtis eſt ipſa paupertas, quæ cum diuitijs fędus percutere per vnum Nicolaum tandem aliquãdo libentiſſimè potuit, Teſtes ipſe ſunt diuitiæ, quæ non magis altã diuitum domicilia, quam humilia pauperum tuguria occupabant. Nullus vnquam diuite Nicolao Pauper, nullus erecto Nicolao iacens, nullus fortunato Nicolao miſer: Mendicitas ad Nicolai magna cum ſpe confugiebat erarium; Viduitas, Nicolai, ne pateretur, petebat erarium; Pupillaris ſolitudo ne periret, reperiebat erarium; Neque tamen era-

rium

rium illud exauſtum, aut pecunijs, aut amore ſaltem vnquam inueniebatur: Oceanus medius fidius tantam aquarum abundantiam innumeros in vſus quotidie non diffundit, quantam Nicolaus pecuniarum copiam in mortalium fructum ſingulis quodammodo momentis largiebatur: Sua tunc ſua dicere conſueſcebat, cum egentium manum ditauerant. At verò cum in Myrenſis Eccleſiæ puppi ſedit Epiſcopus, tunc apertiſſima caritatis vela flantibus vehemẽtiùs voluntatum Zephyris expandere nullo vnquam tempore ceſſauit; Cum enim ſacer Myrarum chorus Antiſtite ex hominibus ſublato, quem ad illius Nauis clauum gubernandum diuina mens eligeret, curioſiſſimè conſultarent; E Cælo autem æterno declaratum eſſet conſilio, vt is puppim aſcenderet, qui appetente luce primus Nicolaus nomine ad templum prȩcaturus acceſſiſſet, fideles excubiæ noſtrum hunc Nicolaum, qui diuinæ voluntatis ignarus Matutinas Deo preces effuſurus illuc inferebatur, Epiſcopus verè diuinitùs electum Cæloque dilectum feſtiuè conclamarunt, & reuerenter ſalutauerunt. Quæ tunc omnium lætitia? Quæ tunc vnius Nicolai mȩſtitia? Sibi ipſis de tam fortunata tanti Viri ſortitione illi congratulabantur; Hic qui ſe nihili eſſe profitebatur in tam arduam euehi ſedem, poſita humanæ carnis ante oculos vilitate ſomniare ſe cogitabat: Verùm cum ſempiterni Numinis voluntatem animo compre hendit non honori caput, ſed oneri ceruicem ſupponens, adeò animarum ſaluti ſeſe dicauit, vt quàm ęgrè in Epiſcopatus gradum conſcendere ſit coactus, tam hilarè Epiſcopatus munia obire contenderit. Optaſſes vt vitæ probitate, morumque conſtantia Nicolaus omnibus longè præcelleret? præcellebat ita, vt lacrymæ potum; commiſſorum non à ſe, ſed à ſuis criminum dolor cibum, Terra lectum Antiſtiti perpetuò ſuppeditarent: Fuiſſet in votis, vt à ſuorum fau-

cibus Tyranni mucrones Epiſcopus reijceret? reijciebat, & ità reijciebat; vt ab impendente Euſtachij Vrbis Præfecti gladio tres nulli culpæ obnoxios Viros fortiter eripuerit, & Cæſareis Legatis inſtans vltimum capitis diſcrimen abſtulerit petiſſes, vt ſuccreſcentes Hæreticorum herbas è Chriſtianæ fidei campis radicitus euelleret? euellebat: quo enim Auctore luculentiſſimus ille trecentorum Patrum Senatus Arianorum peſtem è Fidelium Religione depulerunt, niſi Nicolao? Qui non in Pſeudo Chriſtianos tantum inuectus eſt; ſed ipſas etiam Ethnicorum acies, vt optimus belli Ductor perſeueranter ab Eccleſiæ finibus profligauit; Quamquam ſe, ſanguinem, vitam ipſam, quam grauiſſimis diſcriminibus obiectaret. Illi incommoda, illi iniuriæ, pro veritatis gloria cæleſtis fuit Ambroſia; illi Carcer pro Chriſti Nomine melli ſapidiſſimo illi cruciatus pro fidei Orthodoxæ confeſſione voluptatis fuit embamma: illi denique Mors ipſa, quam aſſidua calamitatum proceſſio, tanquam Mater peperit nectari diuiniſſimo. Tanta enim à primis vitæ diebus abſtinentia præditus, tanta in Pauperes Caritate prælustris; tantis demùm Epiſcopalis muneris ornamentis decoratus cum in Beatiſſimis illis lucidorum ſpirituum ſedibus à Deo Coronam gemmarum ordinibus elegantiſſimè diſtinctam ſibi contexi præſentiſſet ex mortali huius vitæ ſpolio ſolutus in nitidiſſimi Regni gaudia velociter euolauit. O verè Sanctiſſimus Antiſtes! O ſanè beneuolentiſſimus Pater! O Virtutum omnium Coriphæus! En hæc vniuerſa tibi addicta Turba ad te Ducem; vt arma in triplicem humanæ naturæ hoſtem pertractare non ignoremus frequentes cōfluimus. Te in Patrem qui nos ſub tuæ defenſionis vmbra tuearis eligimus: Tecum nos ouiculas nequando circumuagans ille Leo ſurripiat; Paſtor, vt ad opima cæle-

ſtium

ſtium camporum Paſqua tandem deducas te ſequimur. Vobis autem (Aud.) vobis inquam, ac mihi, qua lætitia gratulari debem, latet, qui ſub Nicolai Sanctiſſimi Tutela protegimur ; Cum ergo non eo vires dicendi extendere valeat Oratio, contraho vela, & quod audax verborũ ſtrepitus aſſequi minime poteſt humili taciturnitatis obſequio præſentare conabor. DIXI.



R O M Æ

Apud Dominicum Marcianum. 1641.

SVPERIORVM PERMISSV.